

num. ¶ Et quod tempore locationis ipsarum stationum communis, donec non erunt locate, nullus mercator habitator Tergesti audeat vel presumat suas stationes tenere apertas, vel alias stationes in quibus haberet vel tenere(n)t aliquas mercimonias sive mercadancias, sub pena decem libr. par. pro qualibet persona contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quod potestas sacramento teneatur tempore locationis ipsarum stationum mittere // unum de suis sociis sive militibus ad inquirendum, et contrafatientes tene(n)tur acusare et adhibeatur plena fides eidem, et habe(n)t tertiam partem condemnationis facte occasione eius acuse. ¶ Et si aliqua persona habebit sive tenebit domum sive stationem aliquam ad afflictum a comune Tergesti, [et] teneret sive tenebit aliquam quantitatem salis super pavementum ipsarum stationum vel alicuius ipsarum, et occasione predicta comune Tergesti substineret aliquod dampnum vel detrimentum, quod tenens talem quantitatem salis vel ille cuius culpa comune Tergesti dampnum aliquod substineret occasione predicta, teneatur et debeat reficere tale dampnum comuni, et iudices qui pro tempore fuerint sacramento teneantur bis tempore eorum regiminis ire ad videndum et inquirendum de predictis et contrafatientes denuntiare teneantur. ¶ Item per similem modum incantentur domus posite post pallacium comunis cum voltis et deliverentur in qualibet festo sancti Laurentii, et si qua persona acceperit de dictis voltis, ipsum pro usu suo tenere debeat nec alteri persone affictare, sub pena decem libr. par.

Cap. XVII. Rubrica de censu molendinorum.

Ordinamus quod quelibet persona, que solvere debet aliquem censum comuni occasione molendinorum vel alicuius alterius affictus¹⁾ comunis, ipsum censum solvere debeat in quolibet festo Circumcisionis, et si non solverit, solvat in comuni denarios ipsius census in duplum nomine pene sine aliqua remissione. ¶ Exceptis stationibus comunis et illis affictibus qui sunt ad annum affictati.²⁾ //

¹⁾ affictum. ²⁾ affictatum.